

# MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - [guy.licoppe@infoboard.be](mailto:guy.licoppe@infoboard.be)

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

## MELISSA MULTAS PROPONIT QUAESTIONES...

... Latinitas viva cur est colenda ?

☞ p. 2

... Unde venit modus numerandi, qui nobis familiaris est ?

☞ p. 4

... Et Paulus Picasso ? Fuitne plagiarus ?

☞ p. 6

... Qui Moretorum textus ab oblivione hodie vindicantur ?

☞ p. 8

... E qua regione ad nos advolavit hodiernum carmen ?

☞ p. 11

... Suntne vobis 9.000 francorum Belgicorum ?

☞ p. 11

... Quid de Vergilio poetarum maximo ? Fuitne alchemista ?


☞ p. 12

... Quem novum librum domus editoria 'Melissa' lectoribus proponit ?

☞ p. 15

... Quid denique de Latinitate vestra excercenda ? Ubi rem hoc anno curabitis ?

☞ p. 16



De Paulo Picasso agitur p. 6.

# DE LATINITATE VIVA QUID SENTIAMUS

Prima sessio circuli Melissani mense Ianuario habita iterum frequentior fuit quam superioris anni sessiones. Praesertim nobis magno gaudio fuit quattuor pueros undecim circiter annos natos accipere, qui sessionem libenter attenteque participaverunt.

Quo plures fiunt participes, eo variores necessario apparent rationes eorum, qui Latinitatem vivam colere cupiunt. Adhuc sunt homines qui linguam Latinam simpliciter ament eiusque usu delectentur; alii putant Latinitatem scholarem modo vivo facilius iucundiusque doceri posse; alii etiam rationibus civilibus atque historicis impelluntur.

Fuit vir egregius, nomine Iohannes Cappelle, ingeniarius rectorque universitatis Nancelensis (v. Nancy in Francogallia), qui contra incommodum Babylonicae diversitatis linguarum hoc remedium proposuit, ut usus linguae Latinae inter doctos restitueretur in operibus scientificis divulgandis; primum conventum de Latinitate viva Avensionem a. 1956 convocavit, qui fuit frequens atque vere internationalis.

Eodem tempore alii egregii homines operam dabant ad nationes Europaeas, quae maximo detrimento inter se nuper bellaverant, in mutuam gratiam reducendas. Sic anno 1957 factum est Foedus Romanum, quo a rebus oeconomicis communiter tractandis incohata est integratio Europaea. In longo arduoque itinere quo tenditur ad integrationem politicam non desunt obstacula, quorum maxima sunt linguae diversae singularitatesque culturales. Sola via, qua haec obstacula superari possint, est nostros communes fontes culturales iterum sedulo colere atque pristinum linguae Latinae usum restituere.

Cur huic consilio adhuc potius obstiterint quam faverint Europaeorum nationum regentes, nunc non est investigandum. Homines ergo qui huic consilio exsequendo operam dare voluerunt privatim agere oportuit.

Inter res quae in hunc scopum gestae sunt, praecipue memoranda est Societas Latina Saraviponti anno 1978 condita, cuius ambo Melissae moderatores facti sunt sodales. Non inutile est eius propositum in statutis inscriptum referre (Vox Latina, fasc. 54, a. 1978): «Societas Latina (...) hoc unum ac potissimum sibi proponit, ut perquiratur

a) quibus modis lingua Latina in vita et humanitate hodierna ad commodum commune adhibeatur et adhiberi possit in usu vivo loquentium et scribentium,

b) praesertim qui eius usus fieri possit, sive in doctrina gymnasiorum et academiaram et institutione adulatorum, sive **ad communicationem mutuam gentium humaniorum in Europa, cuius integratio promoveatur**, et ad colloquia pacifica populorum omnium; quibus rebus cum alia omnia idonea fiunt tum sumptu et auctoritate Societatis Latinae eduntur commentarii inscripti Vox Latina, ubi de fructu et eventu operae et studiorum Societatis Latinae singillatim refertur.»

Aliud inceptum visum est Latinitati vivae maximo emolumento fore. Impulsu eorum, qui conventus a Iohanne Cappelle convocatos participaverunt, condita est Romae anno 1967 Latina Academia Romana, cuius sodales **usum linguae Latinae confoverent et promoverent** necnon litteras Latinas. Infeliciter promissis non stetit Academia. Praeter conventus universales quinto quoque anno rite institutos, vix quicquam fecit ad Latinitatem vivam promovendam. Quamquam nonnulli eius sodales sunt sinceri actuosissimique Latinitatis vivae propugnatores, ut Dr P. Caelestis Eichenseer Societatis Latinae praeses et Prof. Thomas Pekkanen coryphaeus Latinus radiophoniae Finnicae, maior pars aliorum sodalium est iners. Quin etiam a novissimo Academiae conventu anno 1993 Lovanii et Antverpiae habito nova via Academiae sodalibus proponitur a Prof. Iosepho IJsewijn, qui una cum Prof. Theodorico Sacré hunc conventum convocavit. In libello, quem ediderunt c.t. «De conventu Lovanium et Antverpam ab Academia Latinitati Fovendae mense Augusto MDCCCXCIII convocato relatio historico-critica», argumenta exhibentur, in quibus nititur nova via proposita.

Quae argumenta sunt consideranda: «Periclitatur ubique terrarum Latinitas, legitur, ac minas undique subit. Philologia, studiorum humaniorum solidum fundamentum, inter disciplinas doctas coepit male audire; deseruntur passim studia historica monumentorum Latinorum; gliscente ignoratione, Latinitas multis e locis, quibus olim vigeat, deicitur(...) Quas ob causas operae nos pretium facturos esse existimabamus, si viros et mulieres vel disciplinas cum sermone Latino coniunctas excolentes, vel Latinam linguam litterasque amantes, vel historice investigantibus



*eam pernecessariam esse credentes unum in locum aliquando congregaremus (...) Praeterea statuimus ut et Latine loquendi rudes invitarentur, modo Latinitas ipsis esset cordi.»*

Secundum hoc propositum Academia Romana fiet forum quo conveniant omnes, quorum disciplina plus minusve a Latinitate pendet; quo in foro licebit omni sermone vernaculo uti; forum ergo magis Babylonicum quam Romanum atque ubi mox certe gratia praevalebit sermo Anglo-Americanus. Ipse valde dubito de bono effectui huius mutationis. Mihi potius videtur esse declaratio mortis linguae Latinae, e cuius cadavere specialistae diversarum disciplinarum invitantur ad suam quisque particulam excipiendam.

In eodem libello legitur hoc: *«Dolendum tamen quod classicae philologiae cultores et cultrices spe et expectatione nostra pauciores venerunt. Cuius rei hanc causam esse accepimus plerosque illos philologos vereri ne nomen suum cum viva, quae dicitur, Latinitate publice coniungeretur ex eoque doctae famae detrimentum caperent. Quod si ita sit, Academiae urgenter deliberandum esse nobis videtur quo modo deplorandae huic rei remedium afferi possit.»*

Si non solum ipsi philologi Latini usum linguae Latinae contra praecessorum suorum morem consuetudinemque respuunt, sed si etiam Latinitas viva eos pudet, non mirum est quod etiam discipuli se avertunt ab institutione Latina, quam ducunt taediosam atque inutilem. Philologi Latini ipsi secant ramum quo sustententur.

Multo aptiora ad Latinitatem promovendam mihi videntur vota, quae Prof. Nicolaus Sallmann, Academiae socius Mogontiacensis, in fine conventus fecit; in libello contracta sunt his verbis: *«ut Latinitas media etiam et recens in gymnasiis studiorumque Universitatibus doceretur; ut ne res tantum Latinae, sed et ipse sermo magno coleretur studio; ut linguae Latinae usus in institutione aliquatenus admitteretur.»*

In fine libelli est additamentum Prof. Iosephi IJsewijn ubi refert de conventu omnium Academiarum Europaearum ALLEA vocato et Parisiis mense Martio a. 1994 habito auspiciis Unionis Europaeae. Dolet quod Academia Romana non est huius congregationis particeps et in fine scribit haec: *«Hoc in concilio vidi et audivi quantopere omnes disciplinae periclitentur, quae usum technicum et oeconomicum directe non spectent. Novum est et firmissimum argumentum ut omnes Latinitatis cultores et cultrices una stent, studia humaniora sapienter defendant, vanas de loquendo Latine aut vernacule rixas omittant. Ardet Ucalegon!»*

Non amo rixas, quibus vires inutile consumuntur. Sed agitur de morte aut vita linguae,

quae quodammodo est culturae Europaeae columna vertebralis; eadem nostris temporibus, meo nonnullorumque aliorum sensu, est catalysatrum (si physica comparatione uti licet) vel fermentum (si biologica), quo rudis massa Europaea quondam fortasse fieri poterit pasta magis homogena (si pistoria), magis coordinata et inde maioris ponderis in orbe terrarum. Mihi enim iam diu contigit in coetibus internationalibus experiri quantum valeret sermo Latinus ad mentes etiam diversas committendas.

Praeterea lingua, quaecumque est, non est philologorum proprietas, sed eorum qui eam adhibent vivificantque. *«Periclitantur, ait Prof. IJsewijn, omnes disciplinae, quae usum technicum et oeconomicum directe non spectent.»* Latius dicendum est nostris temporibus nihil aestimari nisi id quod habet usum. Hoc suo detrimento neglegunt philologi classici, quorum plerique hodierni sive in universitatibus sive in scholis summa vi suffocant Latinitatem vivam. Ego v.g. non a philologo didici sermonem Latinum vivum...

Nolimus, dicunt nonnulli, in locum hodiernorum diversorum nationalismorum substituere nationalismum Europaeo-Latinum. Est re vera ingens differentia inter linguae Latinae statum supranationalem et notionem rei publicae necessario conformandae ad unam nationem sua propria lingua quin etiam sua religione definitam. Historia hodierna plena est contentionum bellorumque atrocium, quae statu supranationali vitari possint. Sed de his fusius alia occasione data.

Ad summam his omnibus de causis fieri non potest ut Latinitatis vivae derelictionem accipiam. P. Caelestis Eichenseer in Vocis Latinae fasciculo 121 p. 321 severe scribit haec: *«Tum si maior pars [sociorum Academiae Romanae] usum linguae Latinae abnuerit et respuerit, haec academia iure optimo dissolvatur aliaque quaedam similis substituatur, in quam tantum homines satis docti in modum sodalium cooptentur, qui parati sunt voluntque usum linguae Latinae efficienter et efficaciter confovere sermonemque Latinum colere et excolere et multipliciter adhibere.»*

*«Ardet Ucalegon»* scripsit Prof. Iosephus IJsewijn. Verum est si agitur de Academia Romana. Suntne Trolani superstites imitandi, qui domo exusta alio migraverunt novamque domum exstruxerunt?

Gaius Licoppe

# VETERUM LITTERAE RATIONALES

## CUR ET QUANDO IN MODERNAS MUTATAE SINT

EXPLICAT GAIUS LICOPPE

Iam in titulo huius symbolae occurro quaestioni lexicographicae. Nam 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 0, quibus signis cottidie familiariter utimur, quomodo Latine non singillatim, sed generaliter sint nuncupandi, non dilucide constat. Nam haec signa apud eas gentes hodiernas, quarum cultus est origine Graeco-Latinus, haberi solent Arabica atque omnino differunt a litteris, quibus Romani in rationibus utebantur.

Cur et quando haec mutatio facta sit, a quibus inducta, quales quantique fuerint eius effectus, fuse accurateque explicatur in libro a. 1994 edito, c.t. *L'Histoire universelle des chiffres. L'intelligence des hommes racontée par les nombres et le calcul* (Parisiis ed. Robert Laffont).

Quae historia, cum ad totum genus humanum pertineret, conscribi non potuit sine latissimis perquisitionibus extra aream culturalem Graeco-Romanam factis.

Vir singularis tantum opus suscipere non timuit atque perficere valuit: Georgius Ifrah Helvetius. Anno 1974, dum mathematicam in lycaeo urbis Monasterioli (v. Montreux) docet, perturbatur interrogationibus discipulorum, quibus respondere nequit: «Unde oriuntur sifrae<sup>1</sup> quibus hodie utimur? Quis invenit modum ratiocinandi hodiernum?»

Ignorantia historiae suae ipsius disciplinae valde commotus, Georgius Ifrah libros imprimis exquirat et perlegit, sed infeliciter ibi tantum pauca, quin etiam incerta invenit. Vix quisquam ultra prospexisset; sed ille statuit ipse totam rem investigare. Ei emolumento est quod, cum sit Iudaeus in Marokio natus, linguam Hebraicam legere scit atque imbutus est et cultu Arabo-Mahometano et cultu Graeco-Romano. E principio intellegit monumenta exquirenda esse ex omnibus orbis terrarum partibus, etiam ex antiquissimis saeculis. Et proficiscitur... sine pecunia; quare in itineribus fiet minister in cafeis, taxiraedarius, vi-



*Summo frumenti acervo insidens procurator digitis numerat modios, quos quattuor servi ex altero frumenti acervo hauriunt, dum tres scribae eius iussu quantitates in tabellis inscribunt. (E pariete picta sepulcri principis Mennae Thebis in Aegypto c. 1500 a.C.n.)*

gil, etc. Convenit interrogatque permultos doctos, quorum specialitas aliquid conferre potest notitiae sifrarum. Colligit ingentem bibliographiam. Anno 1981 in lucem tandem edit librum c.t. *Histoire universelle des chiffres* (Parisiis ed. Seghers); sed indagare pergit, atque anno 1994 opus locupletatum edit cuius duo tomi singuli constant ex 1000 paginis. Insunt 16.000 delineamentorum ipsius auctoris manu factorum.

Totum librum in Latinum vertere in animo non habeo. Operae tamen pretium esse mihi videtur nonnulla excerpta proponere. Lectorum nostrorum etiam eos, quibus res mathematicae sunt parum familiares, non fallit quanti momenti ex aeterno tempore in societatibus humanis fuerit ars numerandi. Omnes fortasse non plane perspectum habent qualis quantaque differentia exstet inter Romanorum modum numerandi et hodiernum universalem modum.

Litterae rationales et Romanorum et Graecorum tantum aptae erant ad quendam numerum significandum memorandumque; omnino ineptae erant ad ratiocinandum. Exemplum afferro:






CCLXVI	266
et MDCCCVII	+ 1807
et DCL	+ 650
<u>et MLXXX</u>	<u>+ 1080</u>
?	3803

Hanc additionem, quam etiam puer nostris temporibus perfacile solvit, Romani vix facere poterant nisi calculis in abaco adhibitis. A quo pendet haec differentia? Sunt re vera duae historiae parallelae. Una est historia modi numerandi, altera modi ratiocinandi; ambo modi in unum coierunt ante pauca tantum saecula.

Iam temporibus praehistoricis homines numerabant digitis, incisuris, omnis generis rebus velut calculis apud Romanos. Ad ratiocinandum multum iuvit inventio abaci, i.e. tabulae ubi delineantur columnae quibus separantur diversi numerorum ordines. Ibi subtili calculorum motu rationes paulatim fieri potuerunt. Iam 2.600 annis ante Christum natum apud Sumeros in Mesopotamia computabatur abaco. Antiquissima divisio nobis nota inventa est in fictili tabella Sumeriana, ubi legitur 1.152.000 hordei silas<sup>2</sup> dividi in septem aequales partes, singulas 164.571 silarum, et postea restare tres silas.




Romanus abacus gestabilis

Diu post inventionem scripturae alphabeticae, Graeci et Iudaei circa annum 300 a.C.n. et postea Syriaci litteras alphabeti adhibuerunt ad numeros notandos. Ex his «litteris rationalibus» (ut vocatae sunt a Romanis) etiam orta est vana scientia c.n. «numerologia»: singuli numeri fiunt verba, singula verba fiunt numeri. Hoc modo textus sacri interpretantur ad libitum. Etiam fieri potest ut textus conscribantur occulta significatione praediti.

Infeliciter hi omnes numerandi modi, sive sint pictogrammatici, sive hieroglyphici, sive litterales, ducunt ad signa eo plus multiplicanda, quo magis crescunt numeri exprimendi; exempli gratia apud antiquos Aegyptios 27 signa hieroglyphica necessaria erant ad numerum 7659 notandum. Est re vera via sine exitu.


Ad transitionem perviam creandam coniunctio trium condicionum erat prorsus necessaria, quae lentissime facta est. Prima condicio est novem tantum signis in numerando uti, ab uno ad novem, quae vocamus sifras. Secunda condicio est numeratio per sifrarum positionem, qua eadem novem sifrae pro positione indicant dena, centena, millena, etc. Tertia condicio est fictio zeri, quod non solum sit signum ad loca sifrae vacua complenda aptum, sed etiam habeatur verus numerus significans nihil i.e. infiniti contrarium.

Iam antiquitus nonnulli populi una vel duabus ex his condicionibus fructi sunt. Babylonii utebantur numeratione per positionem, cuius basis non erat novem sed sexaginta. Eorum consuetudinem secuti sunt astronomi Graeci, Arabes et Iudaei. Huius basis vestigium nostris temporibus superest, cum adhuc soleamus horam in sexaginta minutas et circulum in 360 gradus dividere.

Hic numerandi modus iam exstabat tempore regis Hamourabi circa annum 1900 a.C.n., sed, in numeris per signorum positionem scribendis, loca ubi nullum signum erat imponendum manebant vacua. Inde in rationes transcribendas errores facilius irrepere poterant. Quare circa annum 300 a.C.n. in scriptura cuneiformi apparet signum  quo loca vacua complentur. Hoc tamen signum non est verum zerum, quia non adhibetur ut numerus.

Sinenses quoque invenerunt numerationem per positionem ineunte aera Christiana, sed neque veras sifras neque zerum adhibuerunt.

Mayae in America centrali, quamquam longe a cultibus Veteris Continentis relegati erant, finxerunt et numerationem per positionem et zerum. Eis tamen id impedimento fuit, quod numerationis basis non erat unica: viginti in minoribus numeris, 360 in maioribus.

Qui in orbe terrarum has tres necessarias condiciones nacti viam patefecerint ad expressionem mathematicam modernam, narrabimus in proximo fasciculo. 

(sequetur)

#### ADNOTATIONES

<sup>1</sup> sifra, ae: ex officina lexicographica Saravipontana Dr P.C. Eichenseer nos monuit haec: vocabulum saeculo XII ex Arabico assumptum. In Arabico *šifr*, in palaeo-Indico *śūnyam*. In Latinitate media *cifra* (propter pronuntiatum mediaevalem), palaeo-francogallice *cifre*, Italiane *cifra*, inde Francogallice *chiffre*, Anglice *cipher*, Nederlandice *cipher*, Suetice *sifra*, Theodisce *Ziffer*.

<sup>2</sup> quaedam mensura Sumeriana.

# PICASSO - RUBENS: DE SPECULO

SCRIPSIT AUGUSTINUS CANO, IN LATINUM VERTIT FRANCISCA DERAEDT

*Subiuncta symbola Hispanice edita est in diario c.t. «El Pais» (Matriti, 6 m. Aug. a. 1978), postea in Anglicum versa. Auctor, qui linguam Latinam magni aestimat Matritique curat circulum Latinum, cupiit eam etiam in Latinum verti.*


Europa, Venus, Mars, Furiae, postremo victimae: hoc ordine a sinistra ad dextram ostenduntur personae mythologicae a Petro Paulo Rubens depictae in opere c.t. «Atrocitates belli», quod Florentiae servatur in museo Pitti. Eaedem personae inverso ordine, tamquam in speculo, in Pauli Picasso «Guernica» conspiciuntur. Quamquam haec opera inter se multum differunt, nonnullis rationibus ita similia videntur esse, ut pictura Rubeniana haberi possit, non solum ut mythologica «Guernica» aetatis barocae, sed etiam ut ipsius Pauli Picasso «Guernica».

Professor Otto von Simpson Berolinensis iam ostenderat Paulum Picasso verisimiliter imitatum esse brachia Europae, terrore desperationeque sublata, in persona quam pictor servavit fere

immutatam a primis conatibus usque ad opus perfectum.

In eodem conexu alia elementa in opere Pauli Picasso digna sunt, quae indicentur. Imprimis mulier quae in altera picturae parte puerum brachiis tenet est quasi immutata a prima delineatione. Etiam est, in anteriore picturae parte, bellator cum gladio fracto; si attendimus primos picturae status, quorum Dora Maar per operis creationem octo photographemata fecit, videmus robustum brachium Martis pugno tenentis manubrium scuti; quod scutum a Paulo Picasso non delineatum est ante extremum finem atque postremo accepit formam lampadis electricae.

Praeter eius brachium protentum, pictor ab initio reliquit personam Martis atque in eius centralem locum equum substituit. Insuper animadvertitur equum imprimis delineatum esse tamquam equum iacentem, postea ita paulatim transformatum esse ut fieret imago Martis, i.e. equus bellatorius. Nam collum equi respondet ad brachium Martis tamquam si in speculo



*Fortasse non est necessarium ut indicemus utra pictura sit Petri Pauli Rubens, utra Pauli Picasso. Solum dicendum est opus Rubenianum modo inverso photographatum esse, quasi esset in speculo conspectum, quo similitudines facilius perciperentur.*



conspiciatur.

Taurus autem, qui in Pauli Picasso picturis saepissime apparet, sine dubio habendus est pro imagine belli Iberici. Eius caput, quod in prioribus delineationibus erat in primo ordine, gradatim est transportatum usque ad angulum sinistrum superioremque picturae et ibi quasi derelictum propterea quod neque quadrabat cum massis distribuendis, neque cum dispositione triangulari, neque cum themate mythologico.

Inde non iam est necessarium ut ceteras similitudines enumeremus. Ex face fit lampas petrolearia; similiter iam vidimus scutum mutatum in lampadem electricam; brachium, quo lampas tollitur, quasi in speculo conspectum movetur in alteram directionem. Addenda sunt aedificia incensa, mulieres (omnes in eodem ordine), miles prostratus (qui tamen non simillimus est personae Rubenianae, sed aspectum praebet imperfectae imaginis photographicae). In pictura «Guernica» aviculae initio substitutae sunt in locum parvorum Cupidinum, qui in opere Petri Pauli Rubens comitantur Venerem. Sed postea aviculae ita simplicatae sunt, ut solum fieret quoddam spatium luminosum. Loco Furiae solutis crinibus est taurus; eius horribiles capilli finguntur bestiae cornibus.

Restat ut proportionem inspiciamus. Operis Pauli Picasso longitudo ea de causa duplo maior est altitudine, quod adaptatio spatii erat necessaria. Sic fieri potuit ut pictor omnes formas torqueret secundum consuetudinem suam.

Nequaquam dubitamus quin Paulus Picasso in conspectu habuerit «Atrocitates belli» eo tempore quo picturam suam «Guernica» incohavit. Opus perfectit intra breve temporis spatium, incredibiliter breve pro tam magna pictura. Quod fieri non potuit nisi duobus strategematis, quae sunt speculum ante picturam Rubenianam positum et monochromia a Goya sine dubio ducta. Volutne Picasso fontes suos celare? Haecine fuit causa Rubenianae dispositionis invertendae? Cupivitne ingenium suum dramaticum coniungere cum traditione Graeco-Latina, cuius testem sumpsit penicillum Rubenianum? His interrogationibus nondum inventum est responsum.

Alia sunt exempla (sicut Didaci Velazquez «Las Meninas» Nicolaique Poussin «La Bacchanale») quibus ostenditur Paulum Picasso libenter lusisse cum vita et praesertim cum aliorum arte. Quae exempla sunt recentiora; tamen iam anno 1907, quo depinxit «Les Demoiselles d'Avignon», eodem modo se gessit. Postea aperte usus est operibus pictorum, qui sunt Cranach, Rembrandt, Goya, Courbet, Manet aliorumque. At cum Petro Paulo Rubens res aliter se habuerunt, neque tantas libertates sibi concessit. «Guernica» et «Les Demoiselles d'Avignon», opera maximi momenti historici (Sabartes dixit), ambo fingunt picturas Petri Pauli Rubens quasi in speculo conspectas, quae sunt «Atrocitates belli» et «Iudicium Paridis». Volutne Pauli Picasso daemon mythologiam classicam adaptare sensibus vicesimi saeculi, ita ut locum suum haberet in historia, an solum usus est eis ad suum commodum?... 28





BALTHASARIS ET MELCHIORIS MORETORUM, PLANTINI  
NEPOTUM, EPISTOLAE ET CARMINA INEDITA (SAEC. XVI) (III)  
SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

1. IOANNI GHEESDALIO BALTHASAR MORETUS S.D. [ANTVERPIAE, ARCHIV. PLANT., 202, F. 41R-V]

*Carmen hoc anno 1591 scriptum est in honorem Joannis Gheesdalii, praeceptoris Antverpiensis, rectoris scholae cathedralis, poetae Latini, Plantini Plantinianorumque familiaris; qui i.a. divulgavit haec: Catechismus seu capita doctrinae christianae ad iuvandam memoriam facili et perspicuo carmine reddita (Antverpiae, 1580); Stichologia sive de syllabarum quantitate (...) (Antverpiae, 1591); cfr. Biographie nationale, 7 (Bruxellis, 1880-1883), 708-709 (A. Vander Meersch); L. Voet in collaboration with J. Voet-Grisolle, The Plantin Press (1555-1589) (...), III (Amstelodami, 1981), p. 1010.*

Infelix nimium quem iam premit aegra senectus  
nec puer Aonio proluit ora lacu.  
Nil habet ut tristi depellat nubila mente,  
tardus, iners totos desidet ille dies.  
Ast qui Pieridum iuvenis sudavit in arvis,  
persentit tacito gaudia corde senex.

Castalides Musae quovis comitantur euntem,  
tristitiam cantu nec meminisse sinunt.  
Dicier ego potes tu terque quaterque beatus,  
Gheesdali, doctis annumerande viris.  
Spiritus accendit Phoebi tua pectora; nomen  
(ut reor) inde tibi Teutonis ora dedit<sup>1</sup>.  
Carmina quid memorem, iuxta Libethridos<sup>2</sup> undas  
quae tibi dictavit magnus Apollo parens?  
Semper opus, fidei quo cantas vera, legetur,  
dogmata dum, pietas religioque vigent.  
Dum sua laus Musis, laudabitur usque poema  
quo monstras quaevis syllaba quanta siet.  
Non etiam minima celebrari laude merentur  
quos mittis versus, culte poeta, mihi.  
Pro quibus haud meritas (fateor) persolvere grates,  
debita nec possum reddere dona tibi;  
at nonnulla tamen, quamvis inculta, rependo  
carmina, quo noscas grata fuisse tua.

2. IUSTO RAPHELENGIO COGNATO SUAVISSIMO S.P.D. [BALTHASAR MORETUS] [ANTVERPIAE, ARCH. PLANT., 202, F. 44V-45R]

*Epistola haec est scripta Kal. Oct. 1592. De Iusto Raphelengio, Balthasaris patruale, vide quae scripsimus: «Balthasar Moretus' Conamina poetica (1588-1592)», De Gulden Passer [sub prelo], passim. Qui iuvenis studiis tum incumbibat studiorum in universitate Leidensi; eundem laudibus extulit Balthasar, quod, cum medicinae studeret, Latinas tamen litteras diligentissime colebat Musisque litabat. Raphelengii enim carmen viderat Moretus insertum Francisci Nansii operi c.t. Ad Nonni Paraphrasin Evangelii Johannis (...) (Lugduni, 1589; opus anno 1593 denuo prodiit). Ceterum extant epistolae nonnullae Lipsii et Raphelengii, quibus agitur de medicina et litteris humanioribus inter se coniungendis.*

Iusto Raphelengio cognato suavissimo S.P.D.  
Annus est, ut opinor, carissime cognate, ex quo nihil litterarum a me acceperis<sup>3</sup>. Credo te iam dudum miratum diuturnum hoc silentium; mirari desine. Si qua mihi fortassis fuerit materia,

certe tacendi non defuit causa. Te enim unum ex illis esse intelligo, coram quibus temere quid effutire indecorum est, magnis et altis viris, qui duplici ratione Phoebum sibi devinxere poetices et medices. Vidi tuas ad me epistolas, doctas sane et ipso (audeo dicere) Cicerone dignas. Vidi versus in Nonnum Nansii: nihil nisi eximium et divinum sonant, atque adeo verum poetam te nobis exhibent. Quam apta est (dii boni!), qua constat carmen istud tuum, similitudo! Meliorem aut rei magis accommodam poetarum ille princeps<sup>4</sup> vix inveniat, ita loquor ac sentio. Non iam mihi fidem faciunt, qui medicos insignes, qualem te nobis fama descripsit, a poetico studio si non alienos, saltem non laudandos affirmant, quia fere semper morbos eorumque curationem cogitant et, ut ait poeta, 'carmina proveniunt animo deducta sereno'<sup>5</sup>. Ridicula ratiocinatio haec et probata nisi ab insipiente vulgo. Quanquam enim frequens ad aegrotos accessus aliquem dolorem videtur animis medicorum inurere, tamen eos reficit et recreat





sublimis illa et divina ars medendi. Neque enim recte duas has artes, poetice dico ac medicen, tanquam communi quodam vinculo coniunctas uni Phoebos attribuisset antiquitas, non etiam exstarent omni laude dignissima tam veterum quam novorum poetarum carmina, quos huius scientiae peritos fuisse et esse scimus. Inter hos tu mihi iam unus es, cognate, omnibusque fore auguror, qui summum huius doctrinae gradum, quem doctoratum vocant, brevi, ut audio, in illustri Batavorum Academia suscipies, ni iam susceperis. Utinam tantae Musarum opes mihi contigissent, qui in triviali ludo ineptire dumtaxat didici et nihil altum sapere; a quo nunc aliquandiu abfui et ad typographicum onus inspiciendum me converti, cui

aliquando (si Deo et parentibus visum) destinabor. Plurimum me ad istud sustinendum informatum ac confirmatum iri spero praeceptis institutisque Lipsii, litteratorum huius aetatis doctissimi, quem propediem accedam<sup>6</sup>. Vale. Parentes, fratres, sororem reliquosque amicos a me saluta. Antverpiae 1592 ipso Bavonis festo. Tuus tui amantissimus cognatus Balthasar Moretus

aut rei: corr. ex nec rei  
quia fere: corr. ex eo quod fere  
cogitant: corr. ex cogitent  
ut audio: supra lineam add.  
doctissimi, quem: corr. ex doctissimi. Vale

3. REVERENDISSIMO ET DOCTISSIMO VIRO DOMINO HUBERTO AUDEIANTIO THEOLOGO ET NEOMYSTAE PRIMITIAS DEO OPTIMO MAXIMO OFFERENTI, BALTHASAR MORETUS AMICISSIMO SUO LUBENS MERITO FELICIA APPRECATUR [ANTVERPIAE, ARCH. PANT., 1150A, F. 2R-V]

*Hubertus Audeiantius Brugensis, theologus idemque poeta (obiit anno 1615) Iusto Lipsio erat a manu; cfr. epistola Lipsii ad Audeiantium data anno 1598 (ep. cent. misc. 3, 39): «In domum meam cum venturus sis (ita uterque volumus), quid praecipui muneris tui futurum non ignoras. Praedixi: a manu, lectione et studiis mihi eris (...).» Idem vir exeunte mense Februario aut ineunte Martio anni 1604 sacerdotio auctus est; qua data occasione Moretus carmen hoc scripsit et ad Lipsium misit (cfr. epistola Moreti ad Lipsium data die 7 m. Martii anni 1604: «(...) hoc Audeiantio carmen scripsi, quod Dominationi Tuae censendum merito lubens mitto.»<sup>7</sup>. De Audeiantio vide quae scripsit G. Tournoy, «Hubert Audejans: a Bruges Humanist from Lipsius's Inner Circle» (sub prelo).*

Quis novus hic splendor, quae te nova gloria  
euntem  
prosequitur? Quid? Num magnis augendus  
honorum  
fastibus antiquos longe post terga sodales  
linquis, et haec veteres mutabit gloria mores?  
Fallor; et agnosco divinae munia pompae,  
agnosco pietatis opus, quae firmat amores  
quos virtus primum sanxit, doctrina probavit.  
Ergo age, perge lubens, magna comitante virorum,  
quos ingens reliquo secrevit gloria vulgo -  
nec turba haec satis est, caeli comitante corona,

perge metus expers quo te sanctissimus ardor,  
quo Deus ipse vocat, tanto te munere firmans  
functurum. Deus ecce pia quem mente fovebas  
hactenus et sacris cuius mysteria libris  
discebas, castis precibus votisque vocatus  
ille tuis sacras descendere gaudet ad aras;  
ille tuis ultro manibus gestarier optat,  
victima caelestem mox placatura parentem.  
Siste, nec ad maius festina culmen honoris:  
non caelum, non terra dabit; tibi spiritus omnis  
hic cedat, cedant longe inferiora monarchae  
sceptra, nec hic terrae sese componere princeps  
audeat, excelsi vincas ubi numina caeli.  
Hac equidem decuit laude exornare suprema  
Musarum et Sophiae studia, hanc imponere metam  
quos sacrata Dei lustrando volumina legum  
assiduos perfers animo constante labores.  
O igitur felix, o terque quaterque beate,  
cui sapuisse datum sanctosque attingere fines!  
Porro hinc (crede) manent viventem maxima terris  
et maiora Deo defuncta praemia caelis.

[subiunxit alia manus:] Vidit, legit et approbavit 4.  
Mai a° 1604  
Egbertus spitholdius canonicus et plebanus  
Antverpiensis<sup>8</sup>

21 cedat, cedant: corr. ex cedit, cedunt

4. IN OBITUM REVERENDI DOMINI MICHAELIS HETSROY BRUEGELII, CANONICI ANTVERPIENSIS ECCLESIAE CATHEDRALIS BEATAE MARIAE VIRGINIS, LIBRORUM CENSORIS DIGNISSIMI, BALTHASARIS MORETI CARMEN [ANTV., ARCH. PLANT., 1150A, F. 64R-V]

*Carmen hoc versibus Asclepiadeis minoribus exeunte anno 1593 exaratum est in memoriam*


*Michaelis He(r)tsro(e)y Bruegelii, canonici Antverpiensis et censoris librorum.*<sup>9</sup>

Iam tandem querulo rumpere pectore,  
 urbs Antverpa, melos tristius incipe:  
 magnus civis obit, Bruegel obit pius,  
 urbis praesidium et dulce decus tuum.  
 Heu cessent animi, fastus et hic tuus,  
 quo iam credideras vincere quaslubet  
 mundi quas triplicis circumagunt plagae  
 urbes; heu superest ulla seges tuae  
 vix laudis. Variis quondam opibus potens  
 audebas aliud dicere te Ilium  
 et praemagna fuit gloria tum tua.  
 Verum haec cuncta feros transtulit ad Scythas  
 humani sceleris non patiens Deus.  
 At iam nobilium docta virum phalanx  
 restabat mediis unica spes malis  
 solamenque tibi. Sed quia despis  
 et temnis placide verba monentium,  
 nec fert ecce Deus te fruier viris  
 quorum subsidiis et sapientia  
 fortunata fores. Isacidus solet  
 peccantes superum cunctipotens Pater  
 hac punire via. Nupera cogitas  
 tu Ioannis<sup>10</sup> adhuc fata, gregis sacri  
 pastoris; sequitur Bruegelius modo,  
 vir simplex, sapiens, sedulus ac probus,  
 adiutans inopes et miseros fovens,  
 qui verbi aetheri semina civibus  
 inspersit toties, qui pueros vigil  
 imberbes docuit Catholicam fidem.  
 Sed quid multa canam carmina? Nam velut  
 vino vendibili non hedera est opus,  
 sic non eximio laudibus est viro.  
 Eius morte tibi magna salus perit.  
 O Antverpa malis obruta nunc nimis!  
 Ast ne fleto viri fata: Deum videt  
 clementem supera sede beatior.  
 Quin conversa tuum flere velis nefas  
 atque iram lacrimis comminues Dei.

Tit.: Hetsroy: corr. ex Hertsroy  
 3 (et 24) Bruegel: corr. ex Brugel  
 12 Scythas: corr. ex Schytas  
 35 ne fleto: corr. ex non flenda

ADNOTATIONES

- <sup>1</sup> *Spiritus enim Nederlandice geest* (cfr. Gheesdalius) dicitur.
- <sup>2</sup> *Libethris*, -idis = *Libethra* sive fons Musis sacer.
- <sup>3</sup> In Arch. 202, ff. 36r-37r, legitur epistola, quam Raphelengio dedit Balthasar (inter 1 m. Ian. et 25 m. Maii anni 1591).
- <sup>4</sup> Vergilius.
- <sup>5</sup> OV. *trist.* 1,1,39.
- <sup>6</sup> Balthasar Antverpia Lovanium profectus est die 8 m. Oct. anni 1592.
- <sup>7</sup> Cfr. *La correspondance de Juste Lipse conservée au Musée Plantin-Moretus. Introduction, correspondance et commentaire, documents, bibliographie* par A. Gerlo et H.D.L. Vervliet avec la collaboration d'I. Vertessen (Antverpiae, 1967), p. 222.
- <sup>8</sup> Plebanus inde anno 1594 idemque litterarum piarum auctor (obiit anno 1627): cfr. P.J. Goetschalckx, *Geschiedenis der kanunniken van O.L.V. kapittel te Antwerpen (1585-1700)* (Antverpiae, s.a.), pp. 112-115.
- <sup>9</sup> Obit die 17 m. Dec. anni 1593: cfr. M.J. Marinus, *Laevinus Torrentius als tweede bisschop van Antwerpen (1587-1595)*, Verhandelingen van de Kon. Academie (...), Klasse der Letteren, jg. 51, 131 (Bruxellis, 1989), passim.
- <sup>10</sup> Ioannis Cornelii (Corneliss) parochi (qui obiit die 4 m. Aug. anni 1593): cfr. P.J. Goetschalckx, *Geschiedenis van het bisdom van Antwerpen*, I (Ekeren-Donk, 1915), p. 170.



Res informaticae sunt omnium rerum et optimae et pessimae. Optimae si bene operantur. Pessimae si sunt malae voluntatis. Nam non dubium est quin ordinatra habeant indolem suam propriam. Nostrum ordinatrum, exempli gratia, quamquam libenter ambulat per reticulum Internet, nihil tamen scire vult de cursu electronico. Itaque, amici qui ad nos misistis epistulas electronicas, nolite offensi esse quod non respondimus: eas enim non accepimus. Sed spes non est deponenda: technici enim ordinatri nostri morbum psychologicum sanare... conantur.



*IAPONICA MUSA*



Sunt apud Graecos Romanosque carmina haud pauca de athletic. In Iaponia vero hodierna est quidam follis bassi lusor (Anglice «a baseball player») cui praenomen Iaponice «Ichiro». Is, quamvis iuuenis sit annorum XXII, tam est peritus tam salubris tam excellens quem omnes fere laudent insaniterque ament Iapones. Ego eundem, Hebrum certe alterum, novo in carmine cecini. Etenim eius sodales, quorum princeps erat idem, in quadam certaminum serie devicti sunt, ipse tamen, quod mirum dictu, eadem clade etiam magis splendescens multo clarior factus est.

Arituneus Mizuno

謹賀新年

HEBRVS ALTER

Decepit, eheu, lumina liberum  
 lusor pilarum natus Olympiis,  
 cum fessus aestiuos labores  
 assidue pius edomabat,  
 ut battuator percutit artifex 5  
 sphaeram aduolantem limite transilem,  
 cum sic, quod exoptetur Hebris,  
 inritus in gemitu recepit.  
 curri stupebunt ocius ignibus;  
 cerui ferentur concitius feris 10  
 in montuosis, ast harenas  
 quae rapuit pila, laeta uiuet  
 fautore, lusorque integer artibus  
 nec contumax nec dissimulans sui,  
 prudensque uocum. facta tollunt 15  
 ter nitidos grauius loquelis.  
 uictrix deorum causa potentibus  
 munus, Catonis uicta sibi datum:  
 cras ille mortalis supernum  
 sponte sibi decus appararit. 20

(Hebrus: Hor. C. 3,12,6 || 17sq. : cfr. Luc. 1, 128)

CECINIT KAL. IAN. A.V.C. MMDCCIL

ARITVNEVS MIZVNO

〒006 京都市左京区下鴨南茶ノ木町 31-3 水野有庸

*BELGICORUM FRANCORUM NOVEN MILIBUS...*

*IN CIVITATEM ROMANAM HONORIS CAUSA ACCIPERIS*


(Kölner Stadt-Anzeiger, 28/12/95)

Ute Bendels Duisburgensis, quae largita est 500.000 libellarum Italicarum, id est circiter 450 marcas Germanicas aut 9.000 francorum Belgicorum, primum membrum est associationis maecenatum quae vocatur «Roma caput mundi», eiusque vir, cui titulum dono dedit natali domini, primus civis Romanus honoris causa est, cui vivo licet musea Romana gratis visere.

Usque ad annum bis millesimum viri urbi restituendae per alios cives honorarios aequalem 100 milionibus marcarum Germanicarum stipem conferre volunt, qua pecunia in animo habent celeberrima monumenta restaurare ut fora Caesarum, theatrum Marcelli, pontem Sixti, mausoleum Augusti, murum Aureliani lupamque

Capitolinam, signum notamque eius consilii conventam.

Aemuli, attendite! Symbolae vestrae (non minus 500.000 libellarum Italicarum) transferendae sunt ad: Cassa di Risparmio Roma, numero praefixo (Theod. Bankleitzahl): 06000 03200, in computum: 54015. Diploma a Francesco Rutelli, magistro civium, subscriptum iam inde a mense Februario anni 1996 dimittetur.



Marcus Lakebrink

# CHROMIS ET MNASYLUS IN ANTRO...

SCRIPSIT STEPHANUS FEYE

Honneur des Hommes, saint Langage  
Discours prophétique et paré,  
Belles chaînes en qui s'engage  
Le dieu dans la chair engagé...

P. VALERY, Charmes

*Viri egregii non oportet abitum exspectare ad praesentiam eius indicandam! Baro Emmanuel d'Hooghvorst, octogenarius Belga, per totam vitam suam Veterum scientiae arcana investigavit quorum scriptis venerabunde studuit. Ille vir eruditissimus, amicus clarissimi hermetistae Ludovici Cattiaux, cuius librum praecipuum «Le Message retrouvé» publicavit, ipse confecit multa commentaria de vartis auctoribus inspiratis. Pars in Hispania (in periodico c.t. «La Puerta»), pars in eximio periodico Belgico c.t. «Le Fil d'Ariane», pars denique in*

*Francogallia edita est in periodico «La Tourbe des Philosophes» e quo (e vol. 11 a. 1980) transtulimus hanc symbolam. Omnia opera Baronis d'Hooghvorst post paucos menses Lutetiae publicabuntur (ed. La Table d'Emeraude).*


*Translator gratias maximas agit Alano Van Dievoet et Iohanni van Kasteel amicis sodalibus peritissimis, qui vitia linguae corrigere dignati sunt. Gratias quoque Catharinae de Laveleye quae eximia Sileni imagine laborem nostrum sollerter illuminavit.*

Ars addit Naturae id quod ei deest ut creationis suae perfectionem adipiscatur. Negat ergo Ars evolutionem necessariam, i.e. ultimum dogma cui mundus noster adhuc credit: *spem sine fine* quae artem antiquam occultat.

Duas varias notiones vocabulum artis exprimere potest.

Prima congruit cum vocabulo Graeco τέχνη. Est ars quae populorum ingenio traditur. Vitriarius, exempli gratia, solet cinerem convertere in vitrum quod est terminus perfectionis eius. Exemplum quoque praebet vinum in lagoenis, quo cor hominum gaudet. Terram, aerem, lucem, calorem, vitem uvamque dedit natura; ars autem illud «Clos de Vougeot 1964» fecit. Duo vini cultores, in eodem saepto possessiones habentes, diversas tamen lagoenas conficiunt: eadem enim non fuit educatio.

Inter omnia artium genera, dignissima



admiratione sine dubio est poesis cuius materia est nobilissimum officiorum humanorum: sermo. Nam poesis, vera quidem, nihilo differt a prophetia. Non dubitabant enim Veteres quin poetae a quodam possiderentur numine, i.e. a Musa. Sine





## Vergilius alchemista

Musa nullus poeta. Vocabula poetice dicta et in numerum redacta erant dei incarnati vocabula. Artis poeticae deus erat Apollo ipse, Musarum chori princeps et fons omnis prophetiae sive *vaticinationis* (Fr.: mantique).

*Iupiter est genitor, per me quod eritque fuitque  
estque patet: per me concordant carmina nervis...*  
(Ovid. Metam. 1,517-518)

Sed poesis illa artem nobiliorem praenuntiat, quae causam propriam sponte sua continet in gratuita aeternaque quiete: est festum tempus quo rex pubens in Olympo suo delectatur ridetque; est Ars Magna ad quam aspirant, per Magni Operis operationes, sapientes chymistae. Nonne hoc vocabulum per litteram Y bicornem scripsimus, quia ex cornu illo Vergilius divinus poeta noster scientiam artemque suam accepit?

\*  
\* \*

Publius Vergilius Maro humili loco, e patre rustico cui parvum praediolum erat, apud Mantuam in planitie Padana natus est anno 70 vel 71 a.C.n. Poetam nostrum, dum vixit, tenuit desiderium laborum rusticorum, pastorum pecorumque quae in Bucolicis ac Georgicis cantavit. Etsi tenui valetudine utebatur, homo felix tamen fuit Vergilius. Per totam vitam ei fuerunt amici multi inter quos Augustus imperator, Horatius poeta et Maecenas ille patronus.

Maxime habitavit in Campania, in regione Neapolitana ubi villam possidebat. Saepe etiam versabatur in Sicilia. Verisimiliter anno 27 coepit duodecim Aeneidis carmina scribere ad laudem *Aureae Aetatis* Romanae cuius etiam *reditum* nuntiaverat in illa praeclara ecloga quarta. Qua de causa eum prophetam habuerunt Christiani quem existimarunt Christi nativitatem nuntiavisse. Brundisii mortuus est cum rediret e Graecia, unum et quinquaginta annos natus, die 22 m. Sept. a. 19 a.C.n. Sepultus est non longe a via quae Neapoli Puteolos ducit. Nunc autem iacent reliquiae in ecclesia Mergellinae Neapoli. Ipse sic epitaphium conscripserat:

*Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc  
Parthenope<sup>2</sup>, cecini pascua, rura, duces.*

Inter sescenta milia turistarum, *institutione obligatoria fruendum*, qui nostro tempore quotannis se profundunt in sinum Neapolitanum, quot venerabunde accedunt ad sepulchrum maximi e poetis occidentalibus?

Pendet enim Ars poetica Vergiliana de Spiritus incarnatione qua prophetae fiunt sive, secundum Graecos, Bacchicus furor. De hac autem materia commodius est distincte disputare.

Sed quisnam hodiernis temporibus Vergilium Artis chemicae poetam adhuc legit? Nullam vero aetatem habet Alchemia. Frustra enim investigaretur quo tempore nata esset. Nam origo eius tam vetus est quam ipsa humanitas; est Ars *metamorphosium* totam creationem ad perfectionem suam reducens: ad *auream aetatem*.

Propositum nostrum hic non est de Vergilio litteraria vel historica eruditione disputare. Id alii feliciter exsequuntur vel exsecuti sunt. Tantum volumus nonnullis exemplis ostendere qualis esse possit Vergilius Alchymista, commentator totius operis cuius sensus videtur funditus remanere ignotus.

In proxima scriptione quibusdam Aeneidis locis studebimus explanandis. Nunc autem de Bucolicis et peculiariter de sexto carmine *cantuque Sileni* tractabimus.

Huius ergo carminis Silenus tenet partes praecipuas ut demonstretur inspiratio Bacchica sive Dionysiaca. Idem exprimitur mentione Musae Thaliae in versibus his primis:

*Prima Syracosio dignata est ludere versu<sup>3</sup>  
nostra, neque erubuit silvas habitare Thalia...*

Illam enim Musa comica dat mysteriis faciem quae risum suscitet. Nos docet Poeta *eam silvas habitare non erubuisse*, quod alludit ad aspectum rudem primae materiae quae revera in antris silvestribus invenitur. Raimundus Lullius (in Theoria, capit. III) sic loquitur: «... si hanc primam materiam reperire vis, scito... eam *silvam* vocatam esse ex comparatione rei rudis crudeaeque...»<sup>4</sup> Thalia erat Musa comoediae congruens cum Bacchi (Dionysii) mysteriis. Haec Musa repraesentabatur gerens: personam comicam, *baculum pastorale* vel sarta hederacea. De Philosophiae secretis, dicebat «viridia et immatura» (Fr.: elle en disait «de vertes et de pas mûres») <sup>5</sup>.

Post prooemium duodecim versuum, pingit Poeta spectaculum cuius suavitatem rusticam non decet celare doctrinam chemicam. Cuius ergo spectaculi commentarium dare conabor.

Iuvenes duo, Chromis et Mnasyllus, in antro silvestri Silenum ebrium et dormitantem reperiunt. Conantur autem eum sertis vincire; Aegle, Naiadum pulcherrima, eis auxiliatur. Statim expergiscitur Silenus a iuvenibus petens ut e vinculis eximant. Pro redemptione eis offert

canticum, i.e. «carmen», Aeglae autem alia merces promittitur. Dum ergo incipit Silenus cantare, exsultant fauni feraeque in numerum. Cantus ille revera revelatio est *Magni Operis* sive *transformationum* (Fr.: métamorphoses) sicut tunc vocabantur.

... *Chromis et Mnasylyus in antro*  
*Silenum pueri somno videre iacentem...*

v. 13-14

Ut traditur, Chromis et Mnasylyus teneri Satyri fuerunt fabulosi, parvis cornibus armati et caprina cauda ornati. A patre ariete orta erat facies cornuta. Satyris, qui constanter cum cultu Bacchico sociantur, placent vinum, voluptaria, musica et saltatio.

Sed textus noster eos simpliciter *pueros* nominat. Lapidis enim opus, ut aiebant, nihil aliud est quam ludus puerorum. Nam ludentes et tripudiantes duo *pueri* nostri antrum Sileni invenerunt. Nemo enim huc, ut aiunt, potest incommittatus venire. Semper duobus opus est: Magistro et discipulo.

Antrum sive caverna thesauraria est fodina ubi reperitur illa prima materia lapidea (Fr. minérale) quae hoc loco *Silenus* vocatur. Sicut illa, deformis est hic: fingitur calvus, simus sicut Socrates, et, quod plus est, obesus rotundusque quasi cadus.

Sopor eius significat hanc materiam lapideam exspectare seminationem illam quae sola possit eam expergefaceret et reddere aptam ad operationem Magni Operis. Thesaurus enim recubans in antro lapideo nihil potest sponte sua, id est sine auxilio sapientis cuiusdam discipuli operantis, magistro docente, arcanam contrariorum conjunctionem.

Itidem scripsit Michael Maier in tractatu Hieroglyphicorum:

«*Sed Silenum, eius magistrum aut comitem benigne excipere convenit. Qui pando insidens asello, licet a pueris senex derideatur, plus tamen habet in recessu quam fronte promittit. Hinc illud de Silenis Alcibiadis<sup>6</sup> increbuit, diciturum in Socratem deformissimum exterius, interius pulcherrimum iactatum. Generosus enim dominus aliquando in vili domuncula moratur, et mens polita litteris, in corpore panso annisque obsito; per Silenum autem, ut et Pana et Satyros, comites itineris Bacchi seu Osiridis nihil aliud intellegitur, quam vilitas et sylvestritas seu ruditus materiae philosophicae, quae si humaniter et suaviter tractetur, qui mox inde sequitur auripotens deus, Bacchus multiplicem gratiam pro gratia rependit...*»<sup>7</sup>

*inflatum hesterno venas ut semper Iaccho...*

v. 15

Iacchus est unum e Bacchi nominibus<sup>8</sup>. Hoc loco tamen significat vinum cuius Bacchus erat largitor. Solet vero Silenus fingi *caput* habens *praegrave vino*. Quod est imago terrae illius, i.e. principii operis, omnino pretioso quodam liquore irrigatae quasi per venas.

*serta procul tantum capiti delapsa iacebant...*

v. 16

Naturam subtilem vel volatilem semper indicantserta taeniaeque; hae sunt caelestes vires quae inutiles iacent apud illam terram torpore captam.

*et gravis attrita pendebat cantharus ansa.*

v. 17

Poculum ansatum est cantharus. Ergo in illum locum recepta erant omnia operi necessaria. Nam poculum repraesentat receptaculum mercurii eius qui per operationes Artis *longae vitae elixir* fiet. ☞

(sequetur)

[In proximo fasciculo continuabitur interpretatio Vergiliana. Interea vos hortamur ut sextum carmen Bucolicum iterum legatis excogitetisque vestram explicationem!]

#### ADNOTATIONES

- <sup>1</sup> nov. ed. Les Amis de L.C. a.s.b.l., rue F. Craps, 21, Bruxellis, a. 1991.
- <sup>2</sup> Naias Parthenope (secundum etymologiam: conspectu virginali) traditur primordium dedisse urbi Neapolitanae.
- <sup>3</sup> Syracosio versu: id mysteriis Bacchi alludit.
- <sup>4</sup> Theatrum Chemicum, Argentorati a. 1659 in vol. quarto.
- <sup>5</sup> θάλλω significat viridari. «Neque erubuit... Thalia» (annotat translator).
- <sup>6</sup> Cfr laudationem Socratis ab Alcibiade factam in Symposio Platonis, 215, a.b.
- <sup>7</sup> Michael Maier, Arcana Arcanissima hoc est hieroglyphica Aegypto-Graeca vulgo necdum cognita... sex volumina, in 4° sine loco neque tempore (secundum Caillet: circa 1612) liber 2 p. 90.
- <sup>8</sup> Iacchus erat nomen sollemne Bacchi in sacris Eleusinis. Ex cantico Iaccho appellato ortum est.



## DOMUS EDITORIA MELISSA NOVUM LIBRUM LATINUM PROPONIT

Undecim homines nave itinerantur, inter se Latine loquentes, atque secundum litora Turcica Lyciae requirunt antiqua vestigia. Nonne hoc Utopiam redolet, gregem Latinistarum errare ad fines Asiae, ibi ubi vix inveniuntur periegetae, ubi plerique incolae modo satis antiquo adhuc vivunt inter plurima uberis antiquitatis vestigia?

In octo quidem dies Gaius Licoppe hanc felicem civitatem instituere voluit. Itaque die 27 mensis Iulii a. 1991 Bruxellas in Domum Latinam conveniunt homines e variis regionibus oriundi: ex America septentrionali Annula Llewellyn, ex Austria Antonius Falkner, ex Batavia Bella et Leo Stoelinga, ex Germania Sigrides Albert et Caelestis Eichenseer, ex Belgica Iacina Verreet, Diana d'Udekem d'Acoz, Wolfgangus Jenniges, Gaius Licoppe et Francisca Deraedt, regiones petituri, quas Hadrianus imperator aliquando lustravit.

Aeriportum una petimus, unde aeroplanum hora 6.30 avolat. Europa sub nostris pedibus celeriter evolvitur: Monacum, Zagrabia, Singidunum, Thessalonica, Smyrna. In aeriportu oppidi Dalaman, quo hora 11 appellimus, taxiraedarius quidam nos exspectat. Qui nos ducit ad proximum portum, nomine Göcek, unde celox nostra est profectura. Est pulchra navicula velifera, ampla stega praedita, ita ornata ut aspectum piraticum praebeat. Ei nomen Turcicum est Yetimoğlu, id est «orphanus». Ancoram statim solvimus non velificando sed motro diseliano propulsi...



Wolfgang JENNIGES

### MYSTAGOGUS LYCIUS

SIVE

DE HISTORIA LINGUAQUE LYCIORUM

↑βϣΞΝϣ:∇○Π∇:μϣΤΕ:

ΠΡΞΝΑΡΑΤϣ

Melissa

Lycia aequalibus nostris parum est nota. Unum quidem nomen plerique iam audiverunt: Xanthum. Multi etiam huius urbis pulchra monumenta Londinii viderunt in Britannico Museo. Cetera autem non mirum est si te vidisse aut scivisse non ita bene recordaris: nam ibi vestigia ubique iacent, alia nondum eruderata, alia abruptis locis relicta, in ipsis viis, in harenis, quin etiam mari submersa. Archaeologis multa gaudia adhuc promittuntur!

Ea igitur causa hunc librum lectoribus proponimus, ut melius noscant illam pulcherrimam et longinquam regionem. Wolfgangus Jenniges auctor diu inquisivit in Lycios eorumque linguam, quam videbitis esse nostris valde dissimilem. Ei gratias agimus plurimas, qui nobis rogantibus hoc opus susceperit fructumque scientiae suae Latinis lectoribus benevole, clare, Latinissime tradiderit. ☺

